Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26049
Copyright: Admont, Benediktinerstift



cit caritas multorum. In frigore quoque niuis uel in duritia grandi
nis quid accipi aliud potest quam uita peccatorum, que et torpore friges
cit, et per duritie malitiam percutit. Quorum tamen uitam dominus tolerat, quia
eos ad iustorum suorum probationem seruat. Unde et apte subiunxit, que preparaui
in tempus hostis, in diem pugne et belli, ut cum aduersarius noster di
abolus temptare nos nititur, eorum moribus quasi suis contra nos armis
utatur. Per ipsos quippe nos seuiens cruciat, sed nesciens purgat. Pec
catis namque nostris ipsi flagellum fiunt, de quorum tali uita dum percutimur
ab eterna morte liberamur. Unde agitur ut electorum uita profitiat etiam
perdita uita reproborum, et utilitati nostre dum illorum perditio militat, mi
ra dispensatione fiat, quatenus electis dei non pereat etiam omne quod
perit. Intelligi quoque hoc et aliter potest, ut quia uerbis precedentibus
uidetur annexum, a superioris uersus expositione non discrepet. Nam quia
indicauerat uel bonos ad malum, uel malos ad bonum posse conuerti,
ilico secutus adiunxit. Numquid ingressus es thesauros niuis, et thes
auros grandinis aspexisti, que preparaui in tempus hostis, in diem
pugne et belli. In niue uel grandine frigida uel dura ut dictum est
accipimus corda peccatorum. Sed quia omnipotens deus sanctos suos de talibus elegit,
et quia multos electos adhuc inter peccatorum uitam repositos habeat
nouit, apte in niue et grandine thesauros habere se perhibet.
Thesauri quippe a potis theseos, idem a positione nominantur, et ple
rosque in uita frigida diu latentes respicit, quos ad medium cum
iubet perducit, et iusticie nitore candidos per supernam gratiam ostendit.
Scriptum quippe est. Lauabis me, et super niuem dealbabor. Quos
ad diem belli pugne quoque preparatos diu intra sue prescientie sinum
tegit, sed cum repente eos eduxerit, resistencia aduersariorum pecto
ra illorum uerbis ac redargutionibus quasi quibusdam grandinibus percutit.
Unde alias dictum est. Pre fulgore in conspectu eius nubes transeunt,
quia predicatores sancti uniuersa mundi spatia miraculorum claritate
percurrunt. Qui etiam grando et carbones ignis uocati sunt, quia
et per correptionem feriunt, et per flammam caritatis accendunt. Ipsa
quoque libera sanctorum increpatio natura grandinis conuenienter